DE INCISIONIBVS ANAPAESTI IN TRIMETRO COMICO GRAECORVM

DISSERTATIO

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

VNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORVM CAVSSA

SCRIPSIT

CVRTIVS BERNHARDI

LIPSIENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXI

Anapaestum tragicos Graecos in primo pede trimetri notum est haud facile binis vocabulis inclusisse. Quod quidem Aeschylus numquam fecit, qui usquequaque integro vocabulo pedem contineri voluit. Sophocles autem et Euripides tantummodo eas incisiones sibi permiserunt, quae fiunt vel inter praepositionem et eius casum vel inter articulum et nomen: quae vocabulorum genera tam arte pronuntiando coniunguntur, ut ex metrica ratione contextorum vocabulorum naturam fere aequent. Perspexit et explicavit hanc tragicorum consuetudinem iam God. Hermannus; nuper vero ita de ea disputaverunt, ut res iam confecta dici possit, C. F. Muellerus in libro 'de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli Sophoclis Euripidis' Berolini a. 1866 edito p. 125 sqq. et G. Dindorfius in praef. ad Poet. scen. ed. V p. 32. Pari severitate in systematis iambicis comicos usos esse plenissime demonstratum est a Carolo Reisigio in Coniect. ad Aristoph. p. 37 sqq.*). Ad trimetri vero comici incisum anapaestum quod attinet, de una alterave eius forma sane saepius quaestio instituta est; sed adhuc neque de singularum formarum legibus satis constat, neque quisquam, quantum equidem scio, de cunctis formis coniunctim quaerere conatus est. Id igitur ego nunc ordine faciam hoc usus, ut primum ponam anapaestorum genus id, quod efficitur si vox complurium syllabarum in prima anapaesti syllaba finitur; alterum, si eadem syllaba vocabulo monosyllabo constat; tertium, si thesis**) anapaestica vocabulum hyperdisyllabum terminat; quartum, si eadem voce bisyllaba, quintum, si binis monosyllabis comprehenditur.

*) Semel tantummodo anapaestum duobus vocabulis constantem in systemate iambico Aristophanes posuit: κατὰ Cωκράτουc Nub. v. 1451.

**) Sequor nimirum Bentleianam appellationem.

Caput I.

Quod primum anapaesti genus posui, si vox complurium syllabarum in prima anapaesti syllaba finitur, id quam acerbae controversiae caussa doctissimis viris huius saeculi exordio fuerit, nemo non recordatur. Cum enim Fridericus Augustus Wolfius versum Nubium Aristophanearum in nostram linguam sic vertisset:

Ach weh mir Jammermenschen! wie wird mir's endlich gehn:
Henricus Vossius in recensione Wolfianae interpretationis contendit prorsus improbasse Graecos huiusmodi trimetrum, qui hephthemimerim satis distinctam post primam anapaesti syllabam haberet. Hanc sententiam Ahlwardtius in Wolfi Analectis vol. I p. 253 paucis verbis nec satis apte refutare studuit. Cum vero nomen suum ei disputatiunculae non subnotavisset, Vossius opinatus ipsum Wolfium censorem esse in Annal. Heidelb. a. 1816 paulo acerbius respondit. Universam denique quaestionem Reisigius in Diar. Ienens. m. Dec. a. 1817 p. 393 sqq. consueta diligentia retractavit et sic amplificavit, ut etiam reliquorum pedum condiciones attingeret. Cuius sententiam fere integram postea God. Hermannus in praef. ad Epit. doctr. metr. p. 10 sqq. amplexus est, qui iam ante in epistula ad Wolfium missa suum de tota quaestione iudicium interposuerat*). Quare cum in tam varia disceptatione longius quam utilius sit singulorum opiniones omnes enumerare, nobis quidem sufficit Reisigianas potissimum leges denuo perpendere, quae et summam veritatis speciem habeant et nunc quoque rei metricae peritis maxime probatae sint.

Et primum quidem quod Reisigius contendit a tertio et quinto pede talem anapaestum prorsus alienum esse, hoc certissimum esse constat. Exempla quae talis incisionis per libros feruntur, hau dubie corrupta sunt. In Aristophanis Lysistr. v. 927**) ἀλλ᾽ οὐ δέομ᾽ οὐδὲν ἔγωγε. νὴ Δί᾽ ἀλλ᾽ ἐγώ Vossianus habet οὐδὲ δέομαι οὐδὲν, unde veram scripturam Bentleius eruit οὐδὲ δέομαι ᾿γωγε: quod etiam δέομ᾽ ἔγωγε scribi potest. — In Eccles. v. 270 ὥσπερ τὸν ἄνδρα θεᾶσθ᾽, ὅτ᾽ εἰς ἐκκλησίαν Ravennatis et Veneti scriptura ἄνδρ᾽ ἐθεᾶσθ᾽ recipienda est. —

*) ʻUeber die bestrittene Cäsur im Trimeter der griechischen Komödie.ʼ Berlin 1817.

**) Meinekianae editionis, quam constanter sequor.

Equit. v. 26 μόλωμεν αὐτὸ μόλωμεν αὐτομολῶμεν. — ἦν: in hoc versu Reisigius recte animadvertit αὐτὸ μόλωμεν tam arte pronuntiando consociari, ut fungantur unius verbi officio. — Ad Anaxandridis fragm. apud Meinekium vol. III p. 176 (fr. 1 v. 17) ἄγους᾽ ὑπ᾽ αὐτὰ τὰ σώματ᾽ ἀρίστου πύλας miror quod Meinekius nihil de metrico vitio adnotat, quamquam ne ipse quidem nunc habeo quomodo numeros versus restituam; sed verba corrupta esse etiam sententiae pravitas ostendit. — In Aristoph. Av. v. 93 ὦ Ἡράκλεις τουτὶ τί ποτ᾽ ἐστὶ τὸ θηρίον; articulo facile caremus, quem libri quoque manu scripti nonnulli omittunt; nam non recte Hermannus in epist. ad Wolfium p. 14 veram scripturam esse suspicatur τουτὶ τί ποτε τὸ θηρίον; neque enim solet Aristophanes in talibus interrogationibus ἐστὶ omittere. — Pherecratis fragm. apud Mein. II, 282 (4 v. 2) ὑδαρῆ ᾽νέχεέν σοι; — παντάπασι μὲν οὖν ὕδωρ scribendum esse videtur παντάπασιν οὖν: Meinekius hoc quoque loco de vitioso anapaesto tacet. — Antiphanis fragm. ibid. III, 11 (᾽Ακ. v. 4) οὔθ᾽ ὑδαρὲς οὔτ᾽ ἄκρατον. οἶδα δ᾽ ἐγώ ποτε Hirschigius scripsit οἶδ᾽ ἐγώ. — Alexidis fragm. ibid. III, 479 (Στρ. v. 7) ἀπεδώκαμεν. — τὸ μὴ προσῆκον ἐμοὶ λαβεῖν Meinekius cunctanter proponit προσῆκόν μοι aut ἐμὲ λαβεῖν: quorum alterutrum reponendum est. — Menandri fragm. ibid. IV, 261 (112 v. 2) ἡ μὲν γὰρ αὑτῆς οἶδεν υἱόν, ὁ δ᾽ οἴεται: in hoc versu υἱὸν glossema esse videtur, pro quo reponendum est ὄνθ᾽, quod in eadem Euripidis sententia legitur apud Eustathium ad Hom. Od. p. 1412. — Propter dubiam interiectionis mensuram nescio an huc non pertineat Aristoph. Acharn. v. 800 αὐτὸς δ᾽ ἐρώτη. — χοῖρε χοῖρε. — κοΐ κοΐ. — Vix autem commemorare opus est Equit. v. 121 ἰδού. τί φησιν ὁ χρησμός; — ἑτέραν ἔγχεον; Platonis fragm. apud Mein. II, 672 (1 v. 5) ἐπίδειξον αὐτὴν ἥτις ἐστίν. — ἄκουε δή; Anaxandridis fragm. ibid. III, 181 (Πολ. v. 11) εἶναι, παρ᾽ ὑμῖν δ᾽, ὡς ἔοικεν, ἀπηργμένους: talia enim elisione sananda esse apparet.

Nec illud falsum est, quod secundo loco Reisigius contendit, in quartum et secundum pedem hac condicione anapaestum post primam syllabam incisum admitti, ut sit in versu quaedam sententiae pausa et satis gravis nec nimis longe ab anapaesti sede remota. Et in quarta quidem sede recte dixit nullam offensionem habere anapaesti incisionem, si ante tertiam arsim h. e. in penthemimeri interpunctio sit vel alia sententiae pausa satis distincta. Quamquam non omnia quae in editionibus leguntur

exempla talis anapaesti recte se habent. Sed indubitati sunt versus Aristoph. Ran. 652. 658:

ἄνθρωπος ἱερός. δεῦρο πάλιν βαδιστέον.
τί τὸ πρᾶγμα τουτί; δεῦρο πάλιν βαδιστέον.

Nec dubito equidem his addere Lysistr. v. 838:

ἔγωγε· κἄστὶν οὑμὸς ἀνὴρ Κινησίας.

Nam ibi etsi post alterum trochaeum nulla intercedit interpunctio, nec illa post ἔγωγε posita satis propinqua est ut possit anapaestum tueri, tamen recte Reisigius intellexit verbo κἄστίν pronuntiato apte in versu dicendo intermissionem quandam vocis fieri, ita ut haec pausa instar sit interpunctionis. Hermannus quidem in epist. ad Wolfium p. 13 existimat scribendum esse κἄσθ᾽ οὑμός γ᾽ ἀνήρ, Elmsleius autem ad Acharn. v. 178 κἄστὶν ἐμὸς ἀνήρ: neuter tamen suam mihi coniecturam persuasit; nam neque intellego quid sibi velit γε particula post οὑμὸς inserta, neque articulum puto a pronomine possessivo hic abesse posse. Immo fortasse Aristophanes consulto, ut etiam numeris admirationem Myrrhinae depingeret, insolentiorem anapaestum in hunc versum admisit.

Avium versu 442 sq.:

ὁ μαχαιροποιός, μήτε δάκνειν τούτους ἐμὲ
μήτ᾽ ὀρχίπεδ᾽ ἕλκειν μήτ᾽ ὀρύττειν

Hermannus in praef. Epit. d. m. p. 12 interpunctionem ante tertiam arsim sufficere putat ad excusandum quarti pedis anapaestum. Sed assentiendum est Reisigio improbanti hunc anapaestum propter asperitatem duplici dentali consona in thesi effectam. Nam plane nulla idonea caussa apparet, cur tandem poeta hanc molestiam probaverit, quamvis sine ullo vel sententiae vel rationis grammaticae detrimento μὴ scribere potuisset. Ceterum vulgari fit librariorum peccato, ut sententiarum partes quam maxime congruas reddere una alterave particula adiecta studeant. Sic depravatis numeris in priore parte sententiae τε addit Ravennas Acharn. v. 201 ἐγὼ δὲ πολέμου τε καὶ κακῶν ἀπαλλαγείς; item ἢ particulam pars codicum in Av. v. 374 πῶς δ᾽ ἂν οἵδ᾽ ἡμᾶς τι χρήσιμον ἢ διδάξειάν ποτε | ἢ φράσειαν; similiter in Vesp. v. 550 librarii quoniam non tulerunt καὶ μακαριστὸν — ἢ τρυφερώτερον ἢ δεινότερον, καὶ voci superscripserunt ἢ particulam, quae postea in verborum ordinem irrepsit: ita enim hau dubie orta est ἢ καὶ scriptura quam codices exhibent. Atque eidem librariorum peccato fortasse vitiosus

anapaestus secundi pedis debetur in Strattidis fragm. apud Mein. II, 783 (1 v. 1 sq.):

εἰ μηδὲ χέcαι γ' αὐτῷ cχολὴ γενήcεται,
μηδ' εἰc ἀcωτεῖον τραπέcθαι, μηδ' ἐάν —.

Simile incommodum geminatae dentalis existit in Lysistr. v. 768:

μὴ cταcιάcωμεν· ἔcτι δ' ὁ χρηcμὸc οὑτοcί:

in quo versu praeterea altera eiusdem anapaesti incisio post secundam syllabam facta paululum offendit. Sed cum Ravennas cταcιῶμεν exhibeat, suspicari licet in hoc verbo corruptelam latere. Quare existimo versum in hanc formam esse redigendum:

μὴ cταcιάcητ'· ἔcτιν δ' ὁ χρηcμὸc οὑτοcί:

quam corrigendi viam dudum ab Engero commendatam video. Lysistrata in hac adhortatione ad mulieres conversa plerumque utitur altera verbi persona, quam quin etiam in versum de quo quaestio est recipiamus, ἡμῖν primae personae pronomen in antecedenti versu positum nullo modo obstare puto. Atque Engerus quidem aptissime contendit Avium versum 1029 ἄπιθι λαβών· ἔcτιν δ' ὁ μιcθὸc οὑτοcί: nec minus recte idem Fritzschi temeritatem castigat, qui Lysistratae versu usus eandem numerorum labem non dubitavit in Avium versum inferre sic a se conformatum ἄπιθι λαβών νυν· ἔcτι δ' ὁ μιcθὸc οὑτοcί.

Reisigianae legi respondere etiam hic versus videtur ex Aristophanis fragm. apud Mein. II, 1078 (4 v. 1):

ὦ Ζεῦ πολυτίμηθ', οἷον ἔπνευcεν ὁ μιαρόc:

sed cum codices ἔπνευc' praebeant, haud contra rationem videtur aut cum Dobraeo Addend. ad Aristoph. p. 105 ἐνέπνευc' aut cum Hermanno praef. Epit. p. 14 ἀπέπνευc' scribere.

In Scythae verbis Thesmoph. v. 1197:

ἀλλ' οὐκ ἔκ' οὐδέν· ἀλλὰ τὸ cυμβήνην λαβέ

cυβήνην scholiasta, Suidas, Photius produnt; sed cιβύνην legitimam formam reponendam esse Fritzschius in adn. probavit.

In Avium versu 1614:

νὴ τὸν Ποcειδῶ ταῦτά γέ τοι καλῶc λέγειc

Dindorfio scribendum esse videbatur ταῦτά τοι; at praestat eiecta τοι particula reponere ταυταγὶ formam ab Elmsleio propositam; qua quidem forma Aristophanes usus est in simillimis versibus Av. 171 et Eccles. 189:

νὴ τὸν Διόνυcον εὖ γε μωμᾷ ταυταγί.
νὴ τὴν Ἀφροδίτην εὖ γε ταυταγὶ λέγειc.

Fortasse satis gravem vim ad defendendum anapaestum caesura penthemimeres sine interpunctione habet in hoc versu Platonis apud Mein. II, 624 (1 v. 1):

τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲν ἀποκτείνειν ἔδει —.

Certam illa veniam vindicat Antiphanis versui ibid. III, 46 (1 v. 2):

ἂν μὴ κεράcῃ τιc. — ἴcχε, τὸν ᾠδὸν λάμβανε:

nam duplex anapaesti incisio, cum altera post articulum facta perexigui ponderis sit, apud mediae comoediae poetam minime offendit. — In Menandri fragm. ib. IV, 270 (162 v. 2):

αὐτὸc τὰ cαυτοῦ πρῶτον ἐπιcκέπτου κακά

cum Meinekio πρῶτ' scribi potest. — In eiusdem denique Sent. ib. IV, 350 (v. 363)

μεγάλη τυραννὶc ἀνδρὶ τελοῦcα καὶ γυνή

τελοῦcα corruptum esse apparet.

Deinde anapaestum quarti pedis post primam syllabam incisum probandum esse Reisigius dicit, si interpunctio intercedat post quartam arsim. Sed quamvis negari nequeat hoc quoque loco pausa quodammodo adiuvari leviorem quarti pedis recitationem, tamen ad excusandam eam de qua quaerimus anapaesti formam sufficere illa non videtur. Nam quae sola Reisigius observationis suae documenta affert Thesmoph. v. 609 et Nub. v. 70, ea binas admittunt excusationes: alteram ex interpunctione quae est ante tertiam arsim utriusque versus, alteram ex elisione, quae qualem vim habeat infra pluribus exponetur.

Verum tertio loco Reisigius eum quarti pedis anapaestum ascisci iubet, in cuius ipsius prima syllaba gravius interpungitur; eidem igitur anapaestorum generi, cuius Vossium maxime taeduit, veniam ille non denegat. Cum vero in versu illo 'ach weh mir Jammermenschen! wie wird mir's endlich gehn' aures de numerorum pravitate eum admonerent, culpam tribuit perversae mensurae *wie* vocis quippe pro brevi syllaba adhibitae. Atqui graviorem esse anapaesti molestiam Graecorum versuum similiter incisorum numeri docent, qui, quamvis sint prosodiacae leges diligenter servatae, tamen nihilo melius Germanico illo procedunt. Omnino autem de rhythmica ratione universa incisi anapaesti parum apte Reisigius ratiocinatus esse mihi videtur, ut qui in tertio et quinto pede propterea talem incisionem improbari existimet, quod, cum in his pedibus anceps syllaba locum habeat, inciso in media thesi anapaesto aliquamdiu ambiguum sit utrum

prima pedis syllaba pro brevi an pro longa audiri debeat. Haec vero mensurae ambiguitas, si qua est, mollem numerorum processum minime impedit, nisi quidem huiusmodi quoque trimetrus pravus iudicetur:

διὰ τοῦτο τοὔργον· ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι:

nam in hoc quoque versu τοὔργον nominis altera syllaba utrum ex prosodiaca ratione pro longa an pro brevi sit aliquamdiu propter caesurae intercessionem ambiguum est, nec prius cognoscitur quam proxima in versu syllaba pronuntiata sit; nimirum si haec a consona ordiretur, γον pro longa esset. Immo rectissime Hermannus praef. Epit. p. 9 sq. ambiguitatem in eo potius positam esse contendit, utrum prima incisi anapaesti syllaba totam thesim an partem tantummodo thesis contineat: qualem ambiguitatem perinde ad pares atque ad impares trimetri sedes pertinere apparet. Sed quamvis concedamus ambiguitatem illam caussam esse cur offendat anapaesti incisio de qua loquimur, tamen intellegi nequit quo pacto interpunctione i. e. graviore intervallo discissus anapaestus excusationem admittere dici possit; nimirum ambiguitas longius pertinens necesse esset etiam graviorem offensionem efficeret. At vero et huius de qua agimus incisionis et ceterarum de quibus infra dicetur offensio mihi potissimum ex metrica mensura vicarii anapaesti nasci videtur. Hic enim pes cum habeat thesim suapte natura pro numeris iambicis irrationaliter longam, addito etiam incisionis in media thesi aut post thesim intervallo tanta procedit tarditate, ut genuinam rhythmi iambici levitatem nimium conturbet. Quod vero quintus trimetri pes talem incisionem prorsus a se arcet, id inde factum esse videtur, quod is pes proxime ad exitum versus accedens numeros maxime legitimos exposcit. In ceteris pedibus vidimus levissimam tantum huiusmodi incisionem probatam esse. Levissima autem in tertio pede incisio fieri non potest; nam in eo si vocabulum hypermonosyllabum post primam (vel hyperdisyllabum post secundam) anapaesti syllabam terminatur, necessario legitima versus caesura in illam ipsam syllabam incidit, ut per caesurae pausam incisionis mora etiam magis producatur:

ἄγους᾽ ὑπ᾽ αὐτὰ | τὰ σώματ᾽ ἀρίστου πύλας.
(ἔπειτ᾽ ἐπείσφερε | τοὺς ἀμύλους καὶ τὰς κίχλας).

Haec igitur ratio tertium pedem utrique incisioni praecludit. In quarto pede genus de quo loquimur anapaesti his condicionibus probamus, ut et pausa incisionis perexigua sit et observata semi-

quinaria caesura promptam quarti pedis pronuntiationem adiuvet itaque pausam illam etiam magis obscuret. Quibus cum legibus manifestum est nullo modo convenire eam quam Reisigius statui voluit, ut interpunctio in ipsa thesi anapaestica intercedens probabilis evaderet. Sed iam videamus quibusnam exemplis opinionem suam tueatur. Primum affert Vesparum versum 1369:

τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα; — ποίαν αὐλητρίδα;

quem versum firmissimum esse dicit atque ita comparatum, ut vix ulla litterula cum specie probabilitatis in suspitionem vocari possit. Atque sane praeter ipsum anapaestum in hoc versu alteram labem deprehendere haud poteris; ποῖος quidem quam saepe Aristophanes in similibus sententiis dixerit, Reisigius ipse luculenter demonstravit in Coniect. ad Aristoph. p. 74 sq. Cetera vero quae affert exempla haec sunt: Pac. v. 187. Ran. v. 1220. Av. v. 1495. Nub. v. 214. Equit. v. 208. Av. v. 40. Eccles. vv. 146. 428. 167. Pac. v. 415:

πατὴρ δέ σοι τίς ἐστιν; — ἐμοί; μιαρώτατος.
Εὐριπίδη, — τί ἔστιν; — ὑφέσθαι μοι δοκεῖ.
ποῦ Πισθέταιρός ἐστιν; — ἔα, τουτὶ τί ἦν;
ἀλλ' ἡ Λακεδαίμων ποῦ 'στιν; — ὅπου 'στίν; αὑτηί.
εἶθ' αἱματοπώτης ἐστὶν ὅ τ' ἀλλᾶς χὠ δράκων.
ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσιν· 'Αθηναῖοι δ' ἀεὶ —.
δίψῃ γὰρ ὡς ἔοικεν ἀφαυανθήσομαι.
λευκός τις ἀνεπήδησεν, ὅμοιος Νικίᾳ —.
δι' 'Επίγονόν γ' ἐκεῖνον. ἐπιβλέψασα γὰρ —.
καὶ τοῦ κύκλου παρέτρωγον ὑφ' ἁρματωλίας.

Quae exempla mirum est quam quaesitis artificiis Reisigius defendat. Cum enim nemo non videat facile octo ex eis elisione adhibita corrigi posse, quattuor priores tuetur legem esse affirmans, ut ne elidant ultimam in fine interrogationum eae tertiae verborum personae, quae in trochaeum exeant et patiantur ν ἐφελκυστικόν. Cum vero ipse intellexisset quaedam huic legi obstare satis certa exempla, seiunxit veras interrogationes a rhetoricis quas dicit, atque in his elisionem admissam esse concedit. Quae disceptatio quam expers rationis sit, facile intellegitur; nulla enim apparet iusta caussa, cur istae verborum formae in fine verae interrogationis elisionem aspernentur, quam certissimum est alias eiusdem mensurae voces velut τοῦτο ταῦτα vel similes saepe ibidem admittere, nec illas ipsas verborum formas in vera interrogatione media aut in fine rhetoricae respuere. Sed cum

in talibus rebus explorandis vis exemplorum vincat, valde doleo quod, qui operam suam in Aristophanis fabulis collocarunt, etsi legem Resigianam fere omnes improbarunt, eorum tamen quantum scio nemodum exemplis allatis illam refutare conatus est; ipse autem fretus Reisigi asseveratione, unum qui legi repugnet versum Vesparum 793 esse dicentis p. 397, me confiteor non satis diligenter alia exempla anquisivisse. Sed duos saltem versus qui Reisigium fugerunt in Aristophanis ipsius fabulis repperi, eosque ita comparatos, ut vix possit elisio removeri, nisi quis in quintum quoque pedem talem anapaesti incisionem admittere velit: Av. 20. Nub. 1192:

μὰ Δί᾽ οὐκ ἔγωγε. — ποῦ γάρ ἐςτ᾽; — ἀπέπτετο.
ἵνα δὴ τί τὴν ἕνην προςέθηχ᾽; — ἵν᾽ ὦ μέλε —.

His adicio Eupolidis versum, cui ut aequali Aristophanis vix maior in talibus neglegentia tribui poterit, apud Mein. II, 510 (5 v. 1):

ἡ δ᾽ ὑςτάτη ποῦ ᾽ςθ᾽; — ἥδε Κύζικος πλέα ςτατήρων.

Platonis autem comici versum ibid. II, 630 (1 v. 3), quem Athenaei libri talem exhibent: ἀλλ᾽ ἄνεμος ἐςτάλεις (cod. A: ἐςτάλλεις) θυῖαν παῖς τεόν: recte Hermannus ita correxisse videtur:

ἀλλ᾽ ἃ νόμος ἔςτ᾽; — ἀλλ᾽ εἰς θυείαν παιςτέον.

Accedunt versus a Reisigio ipso commemorati Vesp. 793. Plut. 998:

κᾆθ᾽ εἶλκον αὐτόν. — ὁ δὲ τί πρὸς ταῦτ᾽ εἶφ᾽; — ὅτι;
εἰς ἑςπέραν ἥξοιμι, — τί ς᾽ ἔδρας᾽; εἰπέ μοι.

Nam in altero versu etsi cum Reisigio pro interrogationis nota leviorem interpunctionem ponamus, nihilo minus ἔδρας᾽ voce vere interrogativam sententiam terminatam esse apparet. Denique vulgata scriptura probanda esse videtur in Pac. v. 41:

οὐ μὴν Χαρίτων γε. τοῦ γάρ ἐςτ᾽; — οὐκ ἔςθ᾽ ὅπως:

in quo parum eleganter Reisigius Χαρίτων γ᾽ ἔςτ᾽. — οὐ γὰρ ἔςτ᾽, οὐκ ἔςθ᾽ ὅπως scribendum esse coniecit.

Quae cum ita sint, elisionis legem illam non tam firmam esse censebimus, quae possit quattuor illos anapaestos sustentare. Verum etiam minorem probabilitatis speciem ea ratiocinatio habet, qua usus Reisigius ceteros versus tueri studet. Vt enim Equitum versum 208 defendat, in antecedenti versu, qui vitiose sic est in libris scriptus ὁ δράκων γάρ ἐςτι μακρὸν ἀλλᾶς τ᾽ αὖ μακρόν, verba ita transposuit, ut ἐςτι tertii trochaei sedem occupet: quo facto contendit concinnitatis ratione postulari, ut etiam in proximo versu ἐςτὶν forma plena scribatur; neque alia de caussa in Avium versu 70, quoniam in eadem sede proximi

versus ᾄδουσι legatur, similiter plenam ᾄδουσιν formam servandam esse. At vero Aristophanes in minutis rebus non usquequaque tantam concinnitatem sectatus est, ut vel levissimas syllabarum finalium varietates tam diligenter vitaret. Deinde Reisigius in eodem Avium versu ᾄδουσιν et Eccles. v. 428 ἀνεπήδησεν plenas formas propterea probandas esse dicit, quod tertiae verborum personae in Aristophanis trimetris ultimam syllabam ante graviorem interpunctionem non ita elidere soleant, ut ε fiat littera finalis. Quare Vesp. v. 120 maluit ἐκορυβάντιζεν plenam formam, numerum anapaestorum interpunctione divisorum etiam augens hoc exemplo:

μετὰ τοῦτ᾽ ἐκορυβάντιζεν· ὁ δ᾽ αὐτῷ τυμπάνῳ —.

Debebat autem eodem iure addere Equit. v. 1204:

ἐγὼ δ᾽ ἐκινδύνευσεν. — ἐγὼ δ᾽ ὤπτησά γε.

Sed talem elisionem in trimetris non improbatam esse velut haec exempla manifestant: Aristoph. fragm. apud Mein. II, 1167 (1 v. 2), Strattidis ibid. II, 781 (3 v. 3), Eubuli III, 249 (1 v. 6):

Ἄρης κατέσκηψ᾽, ἔς τε μονομάχου πάλης —.
ὀπισθοτίλαν, ὥς λέγουσ᾽, ὀνομάζετε.
οἴκαδε βαδίζουσ᾽· ὁ δὲ τέταρτος οὐκ ἔτι —.

Cum igitur ne hoc quidem Reisigi argumentum probari possit, non dubitabimus elisionis medicinam octo illis versibus adhibere. Atque in Eccles. v. 146 ne codices quidem plenam ἔοικεν formam exhibent; in Avium autem versu 90 ἔα pro una longa syllaba accipi posse apparet, sicut accipiendum est Nub. v. 932. Eccles. v. 784. Thesmoph. vv. 64. 176.

Eccles. v. 167 Elmsleius recte scripsit ἐκεινονί· βλέψασα; ubi simplex βλέπειν verbum sententiae accommodatius composito est. Oratrix enim oportet tale quid dicat: cum forte illuc h. e. ad Epigonum prospicerem, ad feminas mihi visa sum loqui. Cum vero ἐπιβλέπειν potissimum de eis dicatur qui accurate et consulto aliquem locum intuentur, βλέπειν autem simplex verbum magis aspectum fortuito obiectum significet, hoc apparet melius illi sententiae congruere. Librarii vero in Aristophanis fabulis saepissime compositum pro simplici verbo posuerunt*). Ita Acharn. v. 78 codd. praebent καταφαγεῖν pro φαγεῖν; ibid. v. 1082 Suidas διαμάχεσθαι pro μάχεσθαι; Nub. v. 148 Rav. et alii codd. τοῦτο διεμέτρησεν pro τοῦτ᾽ ἐμέτρησεν; ibid. v. 238

*) cf. Meineki Vindic. Aristoph. p. 6.

nonnulli codd. μ' ἐκδιδάξῃς pro με διδάξῃς; ibid. v. 827 Rav. ἔνεστιν pro ἔστιν; ibid. v. 1312 Rav. Ven. aliique codd. ἐπεζήτει pro ἐζήτει; Equit. 701 Rav. κἀπεκροφήσας, alii codd. κἀπεκροφήσας, ubi κἂν ἐκροφήσας cum Bothio scribendum videtur.

In Pacis versu 415, in quo interpunctio quidem nulla, sed gravior sententiae pausa post primam anapaesti syllabam intercedit, Bentleius recte ὑφ' ἁμαρτωλίας reposuit. Neque enim cum Hermanno facere possum, qui ὑφ' ἁρματωλίας servandum esse censuit, ita pronuntiari hoc nomen iubens, ut ὑφ' ἅρμα syllabae essent pro tribracho. Nam aut ἁμαρτωλίας histrioni dicendum fuit, ut prima corriperetur, aut ἁρματωλίας, eadem ut produceretur; mediam vero inter utramque atque ambiguam pronuntiandi rationem probatam esse alienum est a constantia in metiendis syllabis usquequaque a Graecis observata.

Addendus est ex Aristophanis fabulis Acharn. v. 912:

φαίνω πολέμια ταῦτα. — τί δαὶ κακὸν παθών:

quem versum hau difficile corrigi apparet; quamquam dubito nunc utrum rectius Meinekius τί δὲ proposuert, an Elmsleius κακὸν interpretationi tribuens scripserit ταυταγί. — τί δαὶ παθών.

Ceterorum comicorum unum exemplum Reisigius ipse affert ex Pherecratis fragm. apud Mein. II, 327 (1 v. 22):

Μιλήσιός τις Πυρρίας.
κακά μοι παρέσχεν οὗτος, ἅπαντας οὓς λέγω
παρελήλυθ' —.

Sic enim verba interpunxit, etsi asyndeton duarum sententiae partium vitiosum esse concessit. At haud scio an rectius Hanovius in exercit. crit. p. 37 sqq. ita distinxerit:

Μιλήσιός τις Πυρρίας
κακά μοι παρέσχεν. οὗτος ἅπαντας οὓς λέγω
παρελήλυθ' —.

Anapaestum quidem ita excusationem habere apparet: de quo ut de ipso asyndeto Hanovius haec adnotat p. 52: 'narrationem suam Musice continuat et voce quidem propter indignationem summam vehementer intenta; ad quam quidem vocis intentionem et anapaestus paulo crassior τος απαν accommodatissimus est, et vero asyndeton enuntiati'.

Corruptum Platonis fragmentum apud Mein. II, 633 (7): ὥσθ' ἅττ' ἔχω ταῦτ' ἐστί· ταρίχους ἀπολέσω Cobetus correxit verissima coniectura scribens ταῦτ' ἐς ταρίχους.

Ad Antiphanis fragm. ibid. III, 138 (10 v. 2):

τὸ δὲ
ζῆν εἰπέ μοι τί ἐστι; — τὸ πίνειν φήμ' ἐγώ

Meinekius haec adnotat: 'articulus ante πίνειν fortasse delendus'. Quod vellem paulo confidentius affirmasset. Nam quem plena constructio respuit articulum τὸ ζῆν ἐστι πίνειν h. e. 'das Leben ist trinken', eundem non magis recipit brevius responsum.

Alexidis fragm. ibid. III, 391. (2 v. 11):

ὦ τᾶν λαβὲ καὶ μὴ παῖζε. — τοσουδί. παράτρεχε.

In hoc versu τοσουδί e Dobraei coniectura editur; codices praebent τοὺς οὐ δεῖ vel τοῦ σοι δεῖ. At τοσουδί illud in sententiarum conexum non satis quadrat. Cum enim piscator duos pisces indicaverit decem obolis, atque cum irrisione recusaverit octo obolos quos emptor promiserat, hic denuo illum ut pretium accipiat hisce verbis adhortatur ὦ τᾶν λαβὲ καὶ μὴ παῖζε. Quae excipiens τοσουδί piscatoris responsum quid sibi velit, non intellego; nam ut Dobraeo demus posse πωλῶ subaudiri, tamen ne sic quidem τοσουδί quo referendum sit apparet, utrum ad decem an ad octo obolorum pretium. Concinnior, nisi fallor, sententia evadit, si scribimus τουσδί cum interrogandi nota, ut piscator dicat: 'hosce octo obolos vis me accipere, hisce me contentum esse? immo transi ad alios!' Certe ne hic quidem versus sic est comparatus, ut anapaesto interpunctione diviso praesidium parare possit. Quare ceteris iam omnibus sublatis talis anapaesti exemplis licet ad illum versum reverti, unde Reisigi ratiocinatio omnis profecta est, Vesp. 1369:

τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα; — ποίαν αὐλητρίδα;

quem versum, quamquam Reisigi sensu omni corrigendi periculo vacuum, tamen propter ipsum metricum vitium medela indigere nunc censebimus. Et Elmsleius quidem ad Acharn. v. 178 ab Aristophane scriptum esse coniecit κλέψαντα συμποτῶν; sed articulo ξυμποτῶν carere nequit. Probabilius est τὴν αὐλητρίδα scribendum esse, quod Hermannus proposuit in epit. doctr. metr. § 156: in hac enim paragrapho talem anapaesti incisionem non ferendam esse contendit, quam tamen idem defendit in praefatione*). Sed etiam leniore manu licebit πῶς reponere, quam

---

*) Hoc tamen ad primam tantum editionem pertinet; nam in altera magis inclinat ad hoc genus anapaestorum improbandum praef. p. XIII.

coniecturam Florentis Christiani Meinekius in praef. commemorat. Similiter in Acharn. v. 397, cum Euripidis famulus dixisset erum et intus esse et non intus, Dicaeopolis quaerit: πῶς ἔνδον εἶτ᾽ οὐκ ἔνδον; [Praestat ut puto cum irrisione dictum πόθεν Dindorfii. F. R.]

Restant pauca quaedam exempla, quae neque huic generi adnumerari possunt nec ante tertiam arsim pausam vocis admittunt. In Thesmoph. v. 340:

ὑποβαλλομένης κατεῖπέ τις, ἢ δούλη τινός

altera in medio anapaesto incisio numeros exasperat. Ibi autem τις, supervacaneum illud ad sententiam, a librariis verborum structuram male intellegentibus ex v. 335 repetitum esse videtur: quare illud delendum esse scribendumque κατεῖπεν recte iam Bentleius censuit. In Nub. v. 62:

περὶ τοὐνόματος δὴ ᾽ντεῦθεν ἐλοιδορούμεθα

᾽νταῦθ᾽ haud cunctanter cum Dindorfio reponemus: ac vitium in vulgata esse ipsorum librorum discrepantia monet, ut quorum Ravennas δ᾽ ἠντεῦθεν exhibeat, Venetus δῆν ἐντεῦθεν, alii vero δὴ ταῦτ᾽. Etiam minus elegantes numeri sunt in Ran. v. 1307:

πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια τάδ᾽ ἔστ᾽ ᾄδειν μέλη.

Nam cum quinque syllabarum vox nec post alterum trochaeum nec post alterum iambum caesuram admittat, hephthemimeres necessaria et sola versus caesura evadit, quo fit ut hic anapaestus eadem duritia laboret, quam in incisis tertii pedis anapaestis reprehendimus. Ceterum ne codices quidem inter se consentiunt: nam Ravennas exhibet ἐπιτήδειονα τάγ᾽ ἔστ᾽ ᾄδειν, quod ex ἐπιτήδειον (α supra) τ. ἔ. ᾄ. ortum esse apparet, duo alii codices τάδ᾽ ἔστ᾽ ᾄδειν, Venetus ταῦτ᾽ ἔστ ᾄδειν. Editores ante Brunckium ταῦτ᾽ ᾄδειν receperunt, quod etiam Kockius ut metro mederetur probavit; Hermannus autem in praef. epit. p. 10 sq. aut hoc aut τάδε γ᾽ ᾄδειν commendavit. Sed cum Aristophanes in sermonibus verbum substantivum non soleat omittere, rectius fortasse in hunc modum numeri restituentur:

πρὸς ἣν ἐπιτήδει᾽ ἐστὶ ταῦτ᾽ ᾄδειν μέλη.

Nullo denique modo ferri potest versus ex Philemonis fragm. apud Mein. IV, 41 (22 v. 3):

κεκύηκέ τις, οὐ κεκύηκέ τις· ἠτύχηκέ τις:

quamquam num recte Meinekius versum correxerit τις pronomine priore et altero deletis, non ausim diiudicare.

Secundi pedis anapaesto eisdem, quibus quarti, condicionibus incidens in mediam thesim incisio vocis plurium syllabarum conceditur, ut voces anapaestum formantes arte inter sese cohaereant et aut interpunctio aut alia pausa satis distincta post alterum trochaeum intercedat. Quare commode anapaestus in hoc versu se habet Aristoph. Acharn. 6:

τοῖς πέντε ταλάντοις, οἷς Κλέων ἐξήμεσεν:

in quo adiectivum numerale cum suo nomine tam arte sociatum est, ut vix durior efficiatur anapaestus quam qui uno πεντετάλαντος adiectivo inclusus est in Nubium v. 774 ὅτι πεντετάλαντος διαγέγραπταί μοι δίκη, vel in quarta sede ibid. v. 758 εἴ σοι γράφοιτο πεντετάλαντός τις δίκη.

Deinde probi sunt Av. v. 79. Nub. v. 1221:

τρέχω 'πὶ τορύνην. — τροχίλος ὄρνις οὑτοσί.
ζῶν, ἀλλὰ καλοῦμαι Στρεψιάδην — τίς οὑτοσί;

In altero enim versu etsi lenior pausa est ante tertiam arsim, tamen non neglegendum erit etiam ea interpunctione, quae fit ante arsim principalem, incisionem anapaesti paululum obscurari.

Defendi possunt etiam horum trium versuum anapaesti Nub. 684. Thesmoph. 1184. Ran. 1393:

Λύσιλλα, Φίλιννα, Κλειταγόρα, Δημητρία.
κάτησο, κάτησο, ναικὶ ναὶ (τὸ) τυγάτριον.
μεθεῖτε, μεθεῖτε· καὶ τὸ τοῦδέ γ' αὖ ῥέπει.

Nam in his quas nos ponere solemus interpunctionis notas, eae non tantam vim habent, ut longius intervallum inter primam et alteram pedis syllabam poscant. In enumeratione quidem plurium nominum recitandi pausa inter singula intercedens non tam e logica quadam ratione pendet quam e celeritate, qua qui enumerat potest singula recordari; cum vero in Nubium versu Socrates de femininis nominibus interrogasset, vix opus erat Strepsiadi, ut scortorum nomina reperiret, diuturna meditatione; praeterea etiam ex nominum propriorum communi licentia anapaesto veniam paratam esse apparet. In altero autem et tertio versu ipse inclamandi impetus, etiam iteratis imperativis conspicuus, postulat ut sine graviore vocis intermissione verba pronuntiando se excipiant.

In Lysistratae versu 44:

κροκωτὰ φοροῦσαι καὶ κεκαλλωπισμέναι

κροκωτοφοροῦσαι nonnulli exhibent codices, idemque omnes praebent v. 219 sq., ubi bis idem versus redit: quam scripturam

quominus hic quoque probemus, non impediunt proximi versus accusativi ὀρθοστάδια καὶ περιβαρίδας, qui, etiamsi vulgatam scripturam retineamus, non possunt e φοροῦσαι participio pendere. — In Ranarum versu 847

ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε

μέλανα reponendum esse Kockius vidit; masculo enim Typhoni masculus aries debetur: atque μέλανα servarunt Ravennas in hoc ipso versu et scholiasta ad proximum. — Uno verbo commemoro Thesmoph. v. 1198

ἔπειτα κομίζεις αὐτοῖς. — ἀκολούτει τέκνον:

quem penitus corruptum esse nemo non videt. — Non plus excusationis habet versus Vesp. 25

ἰδόντι τοιοῦτον ἐνύπνιον; — μὴ φροντίσῃς.

In quo non debuit Reisigius ἰδὼν conicere, qualis nominativus post μοι dativum antecedentem ab Aristophanei sermonis concinnitate alienus est; rectissime potius Elmsleius ad Acharn. v. 178 scribi iussit τοιοῦτ' ἐνύπνιον. — Corruptelae suspitionem auget duplex incisio horum anapaestorum Av. vv. 843. 1024, Philippidis fragm. apud Mein. IV, 469 (3 v. 2):

κήρυκε δὲ πέμψον τὸν μὲν ἐς θεοὺς ἄνω —.
ἔπεμψε δὲ τίς σε δεῦρο; — φαῦλον βιβλίον —.
μάλιστα γὰρ οὕτω σώζεται τὸ συμφέρον.

Quorum primus fortasse ex pausa, quam sententia post πέμψον postulat, aliquam veniam habet; in altero δὲ delendum esse videtur.

In Menandri Sententiis singularibus, quae multis vitiis metricis depravatae aetatem tulerunt, offendit huiusmodi trimetrus apud Mein. IV, 355 (v. 539):

χθὼν πάντα κομίζει καὶ πάλιν κομίζεται:

sed fortasse eiusdem sententiae haec altera quae traditur forma magis genuina est ibid. v. 89: γῆ πάντα τίκτει καὶ πάλιν κομίζεται.

Hiatus corruptelae indicio est in his quos subieci versibus. Platonis fragm. apud Mein. II, 635 (3) ἀλλ' αὐτὸ ἀπαρτὶ τἀλλότρι' οἰχήσει φέρων: in quo αὔτ' ἀπαρτὶ cum Bekkero scribendum est. Antiphanis ibid. III, 79 (2 v. 9) οὐχ ἡδύ; ἐμοὶ μὲν μετὰ τὸ πλουτεῖν δεύτερον. Alexidis ibid. III, 513 (18 v. 4) ἐρῶντι ἑταίρας ἕτερα χρησιμώτερα.

Restant pauca exempla prorsus neglecta caesura penthemimeri inconcinna. Non uno vitio laborat Pac. v. 48:

ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει.

Primum enim vitiosa est ϵ et ω vocalium synecphonesis, quam in sermonibus nusquam Aristophanem admisisse certissimum est: cui vitio sane medemur τὴν articulo deleto. Sed etiam sententia versus valde claudicat. Nam ut de Cleone tunc iam mortuo verba accipi voluerit poeta, scholiastae recte intellexerunt non potuisse eum ἐcθίει praesenti tempore dicere; sin ad scarabaeum verba referenda sint, ineptum esse apparet κεῖνοc pronomen, cuius loco οὗτοc potius vel ὅδε requirimus. Nec concinnior sententia evadit, si cum novissimo editore Richtero ὡc κεῖνοc ad Cleonem, ἐcθίει vero ad scarabaeum referamus: ita enim verbis intellectis asyndeton offendit quod inter hunc et antecedentem versum exsistit. Priorem quidem versus partem Elmsleius ad Acharn. v. 178 emendare studuit ὡc κεῖνοc ἡδέωc scribens; fortasse recte. Sed cum ita ipsam sententiam non adiuverit, praeterea ἐcθίει in ἤcθιεν mutandum esse videtur.

Idem in Av. v. 114

ὅτι πρῶτα μὲν ἦcθ᾿ ἄνθρωποc ὥcπερ νώ, ποτέ

μὲν particulam, cui nullum in proximis δέ respondet, suo iure delevit reposuitque πρῶτον ἦcθ᾿. Insiticius esse videtur Ranarum versus 1462 μὴ δῆτα cύ γ᾿, ἀλλ᾿ ἐνθένδ᾿ ἀνίει τἀγαθά: quem uncis plerique editores secluserunt.

In Pherecratis fragm. apud Mein. II, 284 (6 v. 1) ἀπαρτὶ μὲν οὖν ἐμοὶ μὲν εἰκόc ἐcτ᾿ ἐρᾶν scribi potest ἀπαρτί γ᾿ οὖν, nisi temerarium sit in tam minutis fragmentis vel addere vel delere particulas ad sententiarum conexum spectantes.

In Eupolidis fragm. ibid. II, 520 (36 v. 3):

κνέφαλλά τε καὶ θέρμαυcτριν, ἓξ θρόνουc, χύτραν

κνέφαλα libri per simplicem λ litteram scriptum exhibent; quod si κνέφαλλα per duplicem λ rectius scribitur, putandum est τε particulam a metrico correctore, posteaquam κνέφαλα forma in versum irrepsit, ad supplendos numeros additam esse; nisi forte haec particula eidem consuetudini librariorum debetur, qua ductos supra suspicati sumus eos μηδὲ pro μὴ posuisse in Strattidis versu apud Mein. II, 783 (1 v. 1):

εἰ μηδὲ χέcαι γ᾿ αὐτῷ cχολὴ γενήcεται,
μηδ᾿ εἰc ἀcωτεῖον κτλ.

Pseudo-Alexidis fragm. ibid. III, 394 (Ἀcωτ. v. 5) hoc est:

χαίρωμεν, ἕωc ἔνεcτι τὴν ψυχὴν τρέφειν.

Id fragmentum totum cum tragico colore imbutum sit, nihil

impedit quominus ἕως per synecphonesim pronuntiandum esse statuamus.

In Menandri fragm. ibid. IV, 235 (12 v. 3)

καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν᾿ ἔστιν ἔνδοθεν

cum Dobraeo scribendum est πᾶν τὸ λυμαινόμενον.

Praeterea elisione medendum est hisce versibus: Acharn. 178 τί δ᾿ ἔστιν; — ἐγὼ μὲν δεῦρό σοι σπονδὰς φέρων —. Thesmoph. 946 κοὐκ ἔστιν ἔτ᾿ ἐλπὶς οὐδεμία σωτηρίας. Av. 144 ἀτὰρ ἔστι γ᾿ ὁποίαν λέγετον εὐδαίμων πόλις: in quo praeterea γε delendum est. Antiphanis fragm. apud Mein. III, 88 (Μοιχ. v. 8) λάβωσιν, ἔδωκαν τῶν νεκρῶν ἀναίρεσιν —.

Talem anapaesti incisionem in tetrametris iambicis, qui longe rotundiores quam trimetri numeros poscunt, non probatam fuisse sua sponte intellegitur. Quare aliis numeris aptandum est fragmentum Cratini apud Mein. II, 155 (9):

οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος
ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ᾿ ἐσίγων:

nec tamen talibus trimetris, quales Porsono et Bekkero exciderunt:

οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος ἅπαντι λόγῳ κύων,
ἔπειτα χήν, θεοὺς δ᾿ ἐσίγων:

immo ex lyrico carmine fragmentum petitum esse videtur.

De uno denique huius incisionis exemplo, quod in systemate iambico reperitur, Acharn. v. 850, accurate egit Reisigius Coniect. ad Arist. p. 36 sqq.

Caput II.

De monosyllabis anapaestum ordientibus quid iudicandum esse putemus, facile ex eis apparet quae de complurium syllabarum vocibus exposuimus. Si enim vocula monosyllaba ad antecedentem vocem suapte natura necessario se applicat, non multum differt anapaesti incisio ab ea de qua modo disputavimus, nec potest non similibus condicionibus oboedire. Sin vero ista vocula cum proximo nomine arte cohaeret, licitum evadit anapaesti genus, cum ita post primam syllabam exilis tantummodo pausa exsistat, anapaestus autem propius ad eorum similitudinem accedat, qui contextis vocabulis continentur. Quare primum articuli formae correptae ὁ τόν τό τά, quae nomen ab iambo incipiens antecedunt, in omnibus praeter ultimum trimetri pedibus fre-

quentantur, ut in talibus: τὸ κανοῦν, ὁ δ᾽ ἀνήρ, τὰ μέλη, τὸ νεώριον, τὰ μέγιστα, τὸν ὄπισθεν, ὁ Διὸς Κόρινθος, vel similibus Acharn. vv. 118. 244. 253. 481. 510. 519. 552. 918. 921. 1006. 1059. 1060. 1066. 1107. Equit. vv. 25. 84. 120. 123. 206. 207. 646. 1023. 1199. 1399; item in tetrametro (Equit. v. 407). Pac. v. 948; in satyrici trimetri secundo pede Eurip. Cycl. v. 272. — Secundo commodum anapaesti genus oritur a praepositionibus monosyllabis brevibus velut in his: πρὸς ἕνην, ἐν Ἀθηναίοις Acharn. v. 498. Nub. v. 1188. Pac. v. 1249. — Tertio probati sunt anapaesti a τίς τί pronominis interrogativi formis incipientes ut τί λέγεις, τί φέρεις Acharn. vv. 410. 768. 873. Equit. v. 1339. Nub. vv. 21. 22. 90. 185. 798. 1201. — Quarto excusationem sibi vindicant ὅς ὅν ὅ ἅ formae pronominis relativi velut ἃ λέγω, ὃ φέρει Equit. v. 1046. Pac. v. 832. Av. vv. 982. 1685. Sed interrogativa aut relativa pronomina in medio quidem versu anapaestum ordiri non solent, nisi quae interpunctio antecedit. Semel tantummodo in media sententia τί sic positum est in secundo pede Av. v. 20 καὶ νῦν τί κέχηνας; ἔσθ᾽ ὅποι κατὰ τῶν πετρῶν: cui anapaesto ab interpunctione ante tertiam arsim facta plenissima excusatio est. — Quinto σύ initium anapaesti obtinere potest eadem moderatione, ut in medio versu interpunctio antecedat. Cf. (Ran. v. 570). Nub. v. 1277. Vesp. vv. 142. 158 al. Minus eleganter in media sententia bis illud anapaestum orditur Av. v. 647. Lysistr. v. 131:

> ἴωμεν· εἰσηγοῦ σὺ λαβὼν ἡμᾶς. — ἴθι.
> ταυτὶ σὺ λέγεις ὦ ψῆττα; καὶ μὴν ἄρτι γε —.

Ad alterum genus earum monosyllabarum, quae ad antecedentia verba se applicant, primum voces encliticae pertinent. Et enclitica quidem vox tam arte cum antecedenti nomine sociata est, ut ad numeros eius ratio non alia esse possit atque finalis syllabae vocabuli plurium syllabarum: quare in tertio aut quinto pede anapaestum ordiri nequit, in secundo et quarto ea condicione potest, ut ante tertiam versus arsim interpunctio fiat, neve ipsam encliticam pausa nimis insignis excipiat. Repugnantia huic legi exempla, quae in vetustioribus editionibus legebantur, nunc pleraque meliorum codicum ope correcta sunt. Sic duo, de quibus olim inter Vossium et Reisigium acrius disputatum est: Acharn. v. 748 ἐγὼν δὲ καρυξῶ γε Δικαιόπολιν, ὅπα, in quo Ravennas γε particulam omittit, et Vesp. v. 11 κἀμοὶ γὰρ ἀρτίως τις ἐπεστρατεύσατο, ubi nec Ravennas nec Venetus τις exhibent. —

In Pac. v. 274 οὔκουν ἕτερόν γέ τιν᾽ ἐκ Λακεδαίμονος μέτει, si Invernizio fides habenda, Ravennas γ᾽ ἔτ᾽ ἐκ praebet: quare aut cum Reisigio Coniect. Arist. p. 23 γ᾽ αὖτ᾽ scribi aut vulgata scriptura δῆτ᾽ retineri potest. — Perperam additum cum in Ravennate tum in Veneto γε est, in ceteris omissum, Nub. v. 876 καίτοι γε ταλάντου τοῦτ᾽ ἔμαθεν Ὑπέρβολος. — Similis librorum dissensio est in Ran. v. 138 ἄβυσσον. — εἶτα πῶς γε περαιωθήσομαι: sed vix alibi apud Atticos γε particulam adverbio interrogativo iunctam reperias. Ne autem cuncta singulorum librorum peccata emetiar, omnium consensu γε sic positum legitur Lysistr. v. 760:

ἐγὼ δ᾽ ὑπὸ τῶν γλαυκῶν γε τάλαιν᾽ ἀπόλλυμαι:

in quo non recte Reisigius ἐγὼ δέ γ᾽ ὑπὸ γλαυκῶν τάλ. ἀπ. scripsit; nam cum certae noctuae quae sunt in acropoli Atheniensium intellegi debeant, τῶν articulus abesse nequit. Sed graviorem notam meruit Meinekius, quod in Vindic. Aristoph. p. 119, ut vitiosum quarti pedis anapaestum vitaret, alterum eius prorsus similem in secundum immisit coniciens: ἐγὼ δέ γε τῶν γλαυκ. τάλ. ἀπ. Recte iam Bentleius γε eiciendum esse statuit.

Ranarum versum 77 deteriores codices talem exhibent:

μέλλεις ἀναγαγεῖν, εἴπερ ἐκεῖθεν δεῖ σ᾽ ἄγειν:

Ravennas autem et Venetus praesens tempus ἀνάγειν praebent, quod sane post μέλλειν verbum consuetudini Atticorum magis quam aoristus congruit: atque servari id potest, dummodo cum aliquot libris γε particulam post εἴπερ inseramus. Sed anapaestum quidem εἴπερ ἐκεῖθεν per se spectatum apparet ex interpunctione ante tertiam arsim facta satis excusationis habere.

In Avium v. 23

ἡ δ᾽ ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ τι λέγει πέρι

inconsultius Meinekius τι indefinitum posuit; sed etiam τί interrogativum, cum nulla interpunctio antecedat, in quinto pede anapaestum parum eleganter orditur: quare probabilius est quod Cobetus suasit: τί δ᾽ ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ λέγει πέρι; quamquam τί in extremo versu iam scholiasta legit, qui dubitat utrum interrogativa an affirmativa sententia statuenda sit, an denique cum eis sit sentiendum qui cum ipsa negatione οὐδ᾽ ἡ scribere maluerint. Quodsi ille τί ab initio versus positum repperisset, de explicatione omnino haesitare non potuit. Itaque aliquam veritatis speciem Dindorfi opinio prae se fert, qui in adnot. Oxon.

suspicatur ex hoc versu petitam esse glossam Photii p. 588, 13: τίζειν· τί λέγειν. οὕτως Ἀριστοφάνης.*)

Nec recte ex A B Δ libris Meinekius τε recepit in hunc versum Av. 78:

ἔτνους δ᾽ ἐπιθυμεῖ δεῖ τε τορύνης καὶ χύτρας.

Immo multo aptius Trochilus asyndeto utitur, quo suam in administrando festinationem depingat.

Etiam magis infirma ceterorum comicorum exempla sunt. In Alexidis fragm. apud Mein. III, 501 (Φυγ. v. 2) καὶ νῦν πορίζεταί γε τὰ δεῖπν᾽ ἀσύμβολα importune γε particula πορίζεται verbo subiecta est: nulla enim ratio apparet, cur haec magis quam alia enuntiati notio intendi debeat. — Theopompi tetrametrum ibid. II, 812 (2 v. 2) sic libri scriptum exhibent εἰ νῦν γε διώβολον φέρει ἀνὴρ τρέφειν γυναῖκα: ubi hiatum una cum anapaesto Porsonus removit sic verbis transpositis: εἰ νῦν γ᾽ ἀνὴρ διώβολον φέρει τρέφειν γυναῖκα. — Hiatus corruptelae indicio est etiam in Antiphanis versu ibid. III, 81 (Μαλθ. v. 6) κοσμεῖτ᾽, ἀλείφετ᾽· ἂν δ᾽ ἔχῃ τι ἀπάγχεται. — In Cratini denique fragmento ibid. II, 187 (33 b)

λόγος τις ὑπῆλθ᾽ ἡμᾶς ἀμαθὴς συβαύβαλος

συοβαύβαλος scribendum esse vidit Meinekius; sed miror quod neque hic nec alius quisquam intellexit fragmentum ex anapaesticis versibus sumptum esse atque in hunc fere modum tetrametri cancellis aptandum:

⏑ ⏑ – ⏑ λόγος τις ὑπῆλθ᾽ ἡμᾶς ἀμαθὴς συοβαύβαλος – –.

Μέ σέ accusativi pronominis personalis in primo pede atque, siquidem interpunctio praecedit, etiam in medio versu commode anapaestum ordiuntur ut Ran. v. 171:

οὗτος, σὲ λέγω μέντοι, σὲ τὸν τεθνηκότα.

Cf. Ran. v. 130. Eccles. v. 444 al. Si vero accentu carent, non differt eorum ratio a ceteris encliticis. Quare Vesp. v. 1307 κἄτυπτε δή με νεανικῶς παῖ παῖ καλῶν cum Ravennas Venetus Suidas δή omittant, hau dubie cum Elmsleio ad Acharn. v. 127 κἄτυπτεν ἐμὲ νεαν. scribendum est. — In Strattidis fragm. apud Mein. II, 787 (2 v. 2) γαληνά, ἐγὼ δ᾽ ᾤμην σε γαλῆν λέγειν ὁρῶ nescio an reponendum sit ᾤμην γαλῆν λέγειν σ᾽ ὁρῶ.

---

*) [Ibi sane τιτίζειν nunc editum est a Nabero p. 214, sed id neglecto ordine litterarum. F. R.]

Sed interpunctione post secundum trochaeum facta anapaestus excusatur in hoc versu Ran. 107:

δειπνεῖν με δίδαcκε. — περὶ ἐμοῦ δ᾽ οὐδεὶc λόγοc.

Deinde vero etiam μέν δέ ἄν γάρ particulae, cum antecedentibus verbis aptius quam insequentibus nectantur, anapaestum vicarium ordiri nequeunt. Hoc primus, quantum video, Elmsleius ad Acharn. v. 127 perspexit, ubi id genus exempla, quae reppererat in Brunckiana Aristophanis editione, enumeravit atque nonnullorum quidem emendationem proposuit.

Et primum quidem μέν particulae sic positae in trimetris Aristophanis nullum exstat exemplum. Quis igitur in tertii pedis anapaestis eam probaverit in hisce versibus: Ephippi fragm. apud Mein. III, 337 (2 v. 1), Menandri Sent. sing. ibid. IV, 349 (v. 318):

οὐ Μενεκράτηc μὲν ἔφαcκεν εἶναι Ζεὺc θεόc;

λιμὴν πλοίου μὲν, ἀλυπία δ᾽ ὅρμοc βίου.

Ephippi versus quomodo corrigi possit non video; Menandri vero quae fertur sententiam, cuius variae praeter hanc exstant formae, sed nulla melioribus numeris conclusa, in iustum trimetrum Ritschelius Opusc. phil. I p. 569 sic coegit:

πλοίου μὲν ὁ λιμὴν, τοῦ βίου δ᾽ ὅρμοc φίλοc.

Δέ quam studiose Aristophanes, ne primam obtineret anapaesti syllabam, curaverit, manifestatur talibus versibus qualis est Lysistr. 160:

ἐὰν λαβόντεc δ᾽ ἐc τὸ δωμάτιον βίᾳ —:

ubi non praetulit ἐὰν δὲ λαβόντεc, sed δὲ maluit ex legitimo loco in posteriorem enuntiati sedem removere, quantumvis post ἐὰν insertum ipsa concinnitas orationis commendaret, cum statim versu 162 in simili Calonicae dubitatione positum sit ἐὰν δὲ τύπτωcιν. Cum vero v. 160 Vossianus codex δὲ plane omittat, Parisini vero duo et Florentinus ἐὰν δὲ λαβόντεc exhibeant, hoc quoque hic nos versus docet, librarios talem particulae transpositionem aegre tulisse eamque vel eicere vel in legitimum locum restituere non dubitasse. Quodsi concedis hac ratione librorum discrepantiam in illo Lysistratae versu explicandam esse, non aliter iudicandum erit de eiusdem fabulae v. 97:

λέγοιμ᾽ ἂν ἤδη· πρὶν λέγειν δ᾽ ὑμᾶc τοδί —.

Haec enim scriptura recipienda est, quamvis in una Brubachiana a Grynaeo profecta; nam cum de ceteris codicibus nihil constet, Ravennas certe et Augustanus δὲ omittunt, editiones vero pleraeque πρὶν δὲ λέγειν praebent. Nec apte Reisigius asyndeton

defendit his verbis: 'erst hebt Lysistrata an, als wolle sie den Weibern ihren Plan entdecken; doch um die Aufmerksamkeit noch höher zu spannen, bricht sie plötzlich ab mit einer Zwischenfrage': immo nullo modo ferri asyndeton potest, quia aliqua certe particula opus fuit, ut significaretur verbis πρὶν λέγειν et quae secuntur non exspectatae orationis exordium contineri, sed aliam sententiam ab ipsa oratione alienam. In editionum scriptura πρὶν δὲ λέγειν anapaestum veniam habere apparet; sed tamen πρὶν λέγειν δ' collocatio similitudine versus modo commemorati commendatur.

Pluti v. 664

ἦcαν δέ τινες κἄλλοι δεόμενοι τοῦ θεοῦ;

recte fortasse Elmsleius δέ που sine interrogatione scripsit. — Certe non ferendum est δέ in quinto pede ita positum in Aristoph. fragm. apud Mein. II, 947 (9)

κοιτὼν ἁπάcαιc εἷc, πύελοc δὲ μί' ἀρκέcει:

ubi in Polluce Bekkeri particula deleta est. — In Anonymi fragm. ibid. IV, 690 (346 v. 3) ὅταν δὲ τύχωμεν ὕcτερον λυπούμεθα cum Nauckio δ' ἔχωμεν reponere licet. Verum non audeo sollicitare Eupolidis versum ibid. II, 475 (37 v. 1)

ταδὶ δὲ τὰ δένδρα Λαιcποδίαc καὶ Δαμαcίαc —.

Ἄν particulae anapaestum incipientis unum per libros Aristophanis fertur exemplum Eccles. v. 219:

εἰ τοῦτο χρηcτῶc εἶχεν, οὐκ ἂν ἐcώζετο.

In quo ἐcώζετ' ἂν scribendum esse Elmsleius l. c. intellexit. — Ranarum versui 1281

μὴ πρίν γ' ἀκούcῃc χἀτέραν cτάcιν μελῶν

ἂν inserendum esse idem ad Acharn. v. 176 et Reisigius in Coniectan. p. 66 viderunt. Et Reisigius quidem πρίν γ' ἂν ἀκούcῃc proposuit, quod plerisque placuit editoribus. Elmsleium Kockius in adnot. ad hunc versum memorat vitandi vitiosi anapaesti caussa μὴ μή, πρὶν ἄν γ' ἀκούcῃc coniecisse, ita ut μὴ μή extra versum positum esset: quam coniecturam quo loco proposuerit, doleo me non potuisse indagare. Sed minime equidem dubito quin leniore mutatione scribendum sit μὴ πρὶν ἂν ἀκούcῃc: nam πρὶν ἂν sine γε particula saepius Aristophanes in simillimis sententiis posuit, velut Vesp. v. 725 πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούcῃc, οὐκ ἂν δικάcαιc; Acharn. v. 230 οὐκ ἀνήcω, πρὶν ἂν cχοῖνοc αὐτοῖcιν ἀντεμπαγῶ; Vesp. v. 579 οὐκ ἀποφεύγει, πρὶν ἂν ἡμῖν — εἴπῃ. Mirum est quam non constiterit sibi Kockius,

qui quamquam in adnotatione ad Ranarum versum ἄν particulam necessariam esse concessit, in ipsis tamen verbis poetae librorum scripturam πρίν γ᾽ ἀκούσῃς servavit.

Non autem improbandum est ἄν quinti pedis anapaestum exordiens in duobus versibus Anonymi apud Mein. IV, 650 (187):

βδελυρὸν μὲν οὖν τὸ πρᾶγμα, κοὐκ ἂν ἐβουλόμην
λαχεῖν· ἐπειδὴ δ᾽ ἔλαχον, οὐκ ἂν ἐβουλόμην.

In his enim loquendi figura illa, quae παρὰ προσδοκίαν dicitur, cuius ipsius caussa Hermogenes fragmentum illud affert, satis numerorum insolentiam tuetur.

A γάρ particula anapaestus orditur Thesmoph. v. 173. Eccles. v. 998:

παῦσαι βαΰζων· καὶ γὰρ ἐγὼ τοιοῦτος ἦν —:
οἶδ᾽ οἶδ᾽ ὅτι βούλει. — καὶ γὰρ ἐγώ σε νὴ Δία:

quos versus apparet Reisigianae legi satisfacere. Atque similem excusationem admittit Av. v. 847:

οὐδὲν γὰρ ἄνευ σοῦ γ᾽, ὧν λέγω πεπράξεται:

sic enim recte Cobetus pro τῶνδ᾽ ἃ λέγω, quod in libris est, scripsisse videtur. — Sed mendosi sunt Plut. v. 1173. Thesmoph. v. 469:

ἀφ᾽ οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος οὗτος ἤρξατο βλέπειν —.
καὐτὴ γὰρ ἔγωγ᾽, οὕτως ὀναίμην τῶν τέκνων —.

In priore οὗτος tantum infimae auctoritatis libri exhibent; in Ravennate ita versus scriptus exstat: ἀφ᾽ οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος ἤρξατο βλέπειν, in Veneto autem: ἀφ᾽ οὗ γὰρ βλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο. Videntur igitur deteriores libri addito οὗτος pronomine metrum interpolasse. Itaque nihil obstat quominus cum Meinekio Venetum maxime exemplar secuti ἀφ᾽ οὗ γὰρ αὖ βλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο scribamus, quamquam, utrum αὖ particula an alio metri supplemento versui succurrendum sit, non potest non in ambiguo esse. — Restat Thesmophoriazuson versus, quem sane fatendum est alius corruptelae notam nullam prae se ferre. Sed quid quaeso apud Aristophanem unum exemplum valet, ubi in particula versamur quae non centies, sed plus quam milies in eius trimetris legatur? Fortasse verum est quod Elmsleius coniecit καὐτὴ γὰρ οὖν.

Accedunt Eupolidis fragm. apud Mein. II, 442 (7), Platonis ibid. 670 (3 v. 5), Nicostrati ibid. III, 282 (Διαβ. v. 2):

ἤδη γὰρ Ἀρίσταρχον στρατηγοῦντ᾽ ἄχθομαι.

ἐπέλαχες ἀνδρὶ, οὐδέπω γὰρ ἐλευθέρῳ.
ἢ κάνθαρος; τουτὶ γὰρ ἐὰν πύθωμ᾽ ὅτι.

Horum primum fragmentum cum hoc uno versu comprehendatur, num corrigendum sit, in medio relinquo; in altero vero et hiatus vitiosus est nec γὰρ particula sententiae convenit; in tertio ἂν est cum Dindorfio pro ἐὰν reponendum.

Interpunctio in prima anapaesti syllaba post monosyllabam vocem non magis probata est quam post plurium syllabarum vocabulum. Menandri quae traditur sententiam λιμὴν πλοίου μὲν, ἀλυπία δ᾽ ὅρμος βίου iam supra absolvimus. Maiorem hoc in genere licentiam potuit princeps trimetri sedes sibi vindicare; attamen unum quod huc referri possit exemplum, aliis de caussis non recte se habere videtur, Acharn. v. 749 sq.:

Δικαιόπολι, ἦ λῇς πρίασθαι χοιρία;
τί; ἀνὴρ Μεγαρικός; — ἀγοράσοντες ἵκομες.

Non solet enim apud Aristophanem solo τί pronomine integra interrogatio consistere; pleniore potius sententia sic fere tales interrogationes fiunt: τί ἔστι; τί λῇς; τί τὸ πρᾶγμα; vel saltem vocativo addito τί, ὦ πάτερ; Nub. v. 80; τί, ὦ γέρον; ib. v. 746, alibi, ubicumque cognoscere quis cupit, quid sit cur vocetur. Nec vero recte Elmsleius exstincto priore interrogationis nota τί ἀνὴρ Μεγαρικός; edidit; etenim in praesentis personae allocutione politior sermo Atticus ὦ interiectionem non sine certa caussa omittit*). Plerumque vero, cum quis in scaenam ab altero advocatur, huius modi quaestionem instituit: τίς οὗτος; Acharn. vv. 395. 1018. 1048 al. τίνες οὗτοι; τίς ὁ βοῶν; Av. v. 60. τίς ἔσθ᾽ ὁ κόπτων; Plut. v. 1097. τίς ὁ Σαρδανάπαλλος οὑτοσί; Av. v. 1021. Quare nescio an Acharnensium locus ille in hunc fere modum restitui possit:

Δικαιόπολι,
ἦ λῇς πρίασθαι χοιρίδια; — τίς οὑτοσὶ
ἀνὴρ Μεγαρικός; — ἀγοράσοντες ἵκομες.

Vbi vocativus extra versum apte ponitur, quoniam aliquid temporis necesse est intercedat, donec Dicaeopolis vocanti obsecutus domo egrediatur et Megaricus interrogationem suam continuare possit.

---

*) Cf. Velsenum in Mus. Rhen. vol. XXIV p. 329.

Caput III.

Sequitur ea anapaesti incisio, quae fit, cum vox hyperdisyllaba terminatur in altera thesis syllaba: de qua caesura podica eo utilius erit curiosius disputare, quo minori ea offensioni recentioribus nonnullis Aristophanis editoribus esse solet. Meinekio quidem nihil scrupuli iniecerunt huius modi anapaesti eique adeo ex coniectura profecti: καὶ μηκέτι τηρεῖν cιτί' ἡμερῶν τριῶν Acharn. v. 197; εἰc ἀcπίδα θύcηc μηδὲν εἰρήνηc πέρι Lysistr. v. 190; καὶ τάc γε δούλαc οὐκέτι δεῖ κοcμουμέναc Eccles. v. 721, alii. Atqui talia veteribus non probata fuisse iam Bentleius sensit, qui non alia de caussa nisi propter numerorum foeditatem nonnullos id genus versus in Aristophanis fabulis emendavit. Velut Acharn. v. 1078 ἰὼ cτρατηγοὶ, πλείονεc ἢ βελτίονεc scripsit πλέονεc; in Pluti autem v. 476 ὦ τύμπανα καὶ κύφωνεc οὐκ ἀρήξετε quamquam verba sollicitare non audet, suavius tamen ad aures accidere dicit ὦ τύμπαν', ὦ κύφωνεc; nec minus in Nub. v. 73 ἀλλ' οὐκ ἐπείθετο τοῖc ἐμοῖc οὐδὲν λόγοιc molliorem et numerosiorem evadere versum adscita ἐπίθετο forma. Bentleio aetate proximus quantum video Elmsleius in huiusmodi anapaestis offendit. Is enim in auctario adnotationum ad Acharn. v. 107 εἰ προcδοκῶcι χρυcίον ἐκ τῶν βαρβάρων numerosius χρυcὸν esse contendit, pariterque in eiusdem fabulae versu 1078 de πλέονεc forma Bentleio assentitur. Sed cum hae offensiones magis aurium iudicio et sensui cuidam elegantiae deberentur, ad certam legem illas primus God. Hermannus in Epitomes*) doctr. metr. priore editione § 154 revocare disertis verbis instituit, ubi de anapaestis vicariis disputans haec scripsit: 'sed non elegans habetur' (in altera Epitomes editione posuit 'sed non probatur') 'in secunda brevium syllabarum terminata vox quae in dactylum exit. Vt in Plauti Asin. IV, 1. 26:

tecum úna postea aéque pocula pótitet:

quod scribendum *pocla'*. Similia idem e Graecis comicis exempla commemorat in praef. ad Epit. p. XIII. Sed paulo copiosius rem in altera Nubium Aristophanearum editione ad v. 74 retractavit, qua adnotatione pleraque talis incisionis exempla, quae in Aristophanis fabulis reperiri possent, dubia esse contendit et non-

*) In Elementis doctr. metr. hanc quaestionem non tetigit.

nullorum saltem emendationem suscepit. Contra Hermanni autem sententiam Fritzschius in disputatione 'de trimetro comico', quam praemisit indici lect. Rostoch. a. 1831 hibern., talia affirmat Aristophani non displicuisse; cum vero crebra huius dactyli exempla exstare contendat, nimia parsimonia tria tantummodo nobiscum communicat Acharn. v. 107. Plut. v. 942. Lysistr. v. 124, quorum primum lenissima mutatione Elmsleium removisse vidimus, altero et tertio nihil efficitur, quia in utroque alia menda librorum scripturam suspectam reddunt. Deinde Engerus in praefatione ad Lysistr. p. XXVI, postquam de eo genere anapaestorum, quod incisionem habet post primam syllabam, satis acute et diligenter egit, dactylum pro trochaeo integra voce comprehensum numerosum quidem non esse concedit, sed tamen satis multa et certa eius exstare exempla putat; atque affert profecto plus quam quinquaginta ex Aristophanis comoediis locos, in quibus id genus dactylos sibi deprehendisse videtur. Quae exempla si re vera ad dactylum quem in quaestionem vocavi pertinerent, opera supersederem in singulorum integritatem inquirendi. Sed affert vir doctus locos ex metrica ratione valde dispares, nec de his omnibus uno suffragio sententiam ferre debuit. Nam primum merito iam Hermannus in censura Lysistratae Engerianae, inserta Diariis antiq. stud. a. 1845 p. 617 sqq., Engerum castigat, quod aptis exemplis miscuerit anapaestos, quorum thesis cum arsi elisionis vinculo iuncta sit. His vero remotis ad dimidiam partem numerus exemplorum redigitur; atque si ex ceteris praeterea et illa sustuleris, quorum anapaestus a bisyllaba voce initium capit, et vero ea quorum aperte depravatam scripturam Engerus amplexus est, tam pauca idonea restabunt exempla, quae iam non temerarium sit in dubium vocare. Post Engerum pauca Blaydesius ad Acharn. v. 108 de illo genere anapaestorum adnotavit; et elisionis quidem exempla hic recte a ceteris seiungit, peccat vero, ut mihi quidem videtur, eo quod etiam interpunctione incisis anapaestis veniam concessit.

Sed finibus circumscriptus est dactylicorum vocabulorum pro trochaeo usus haud alienis a ratione earum condicionum, quibus alteram illam post primam brevium syllabarum factam incisionem vidimus obtemperare. Eadem igitur necessitas a tertio et quinto pede tales anapaestos prorsus segregat. Nubium v. 73

ἀλλ' οὐκ ἐπείθετο τοῖς ἐμοῖς οὐδὲν λόγοις

Ravennas aliique codices ἐπίθετο exhibent, quod iam Bentleio

placuit et a recentioribus editoribus plerisque restitutum est. Frustra quidem Reisigius in Coniect. ad Aristoph. p. 205 imperfectum tuetur ita verba interpretatus: 'quotiescumque filium exhortabar, numquam mihi aurem praebuit'. Neque enim minus commode aoristum defendi posse apparet, dummodo cum Kockio sic versum intellegamus, ut meram de universo paternarum hortationum eventu narrationem contineat; atque non nihil praesidi Ravennatis scripturae etiam proximi versus aoristus κατέχεεν addit, qui hau diversa temporis ratione cum ἐπίθετο coniunctus est. — Pacis versus 1195 ex Veneto codice olim sic editus est:

ἔπειτ' ἐπείcφερε τοὺc ἀμύλουc καὶ τὰc κίχλαc.

At Ravennas exhibet ἐπιcφόρει, Florentinus ἐπειcφόρει: quare non dubito Dobraei scripturam ἐπιφόρει probare. — In Antiphanis fragm. apud Mein. III, 18 (2 v. 3)

μέλλει τε cυνθεὶc coι φέρειν
τὰ κινναμώμινα ταῦτα καὶ τὰ νάρδινα

aut κιννάμωμα cum Schweighaeusero scribendum est, aut κινναμώμινα in exitum trimetri transponendum velut hoc modo:

μέλλει φέρειν cυνθεὶc τὰ κινναμώμινα
coὶ ταῦτα καὶ τὰ νάρδινα.

Quinti pedis duo tantummodo per editiones feruntur exempla, alterum in Plut. v. 942:

καὶ ταῦτα πρὸc τὸ μέτωπον αὐτίκα δὴ μάλα —.

Sic libri quidem omnes. Sed verborum ordinem turbatum esse Meinekius in Vindic. Aristoph. p. 218 ostendit: Aristophanes enim coniunctim αὐτίκα μάλα nulla inserta particula constanter dixit. Quamobrem Meinekius quidem scribendum esse putavit πρὸc τὰ μέτωπα δῆτ' αὐτίκα μάλα. Sed malim paulo leniore mutatione versum in hunc modum constituere:

καὶ ταῦτα πρὸc τὸ μέτωπον αὐτίκα μάλα δή:

hoc enim accentu metrico αὐτίκα μάλα effertur in iambicis versibus Equit. v. 746. Pac. vv. 237. 367. Av. v. 202. Lysistr. vv. 739. 744. Ran. v. 785; atque etiam in trochaicis numeris, quos certissimum est alioqui positum in brevi finali vocis syllaba ictum usquequaque respuere*), Equit. v. 284: ἀποθανεῖcθον αὐτίκα μάλα.

---

*) Quod neglexerunt Porsonus, qui coniecit, et editores plurimi, qui receperunt Eccles. v. 1156: τοῖc γελῶcι δ' ἡδέωc διὰ τὸ γελᾶν κρίνειν ἐμέ: ubi libri vitiosum dactylum ἡδέωc διὰ τὸν γέλων praebent.

Alterum quinti pedis exemplum exstat in Dioclis fragm. apud Mein. II, 839 (2):

πῶς δὲ καὶ κεκραμένον
πίνειν τὸν οἶνον δεῖ με; — τέτταρα καὶ δύο.

Vbi libri exhibent μετὰ τέτταρα; quod si recte a Dobraeo et Meinekio in με; — τέτταρα conversum est, sane huius dactyli durities formula τέτταρα καὶ δύο, quae contexti vocabuli recitationem fere aequat, et interpunctione pleniore in quarta thesi paululum mitigatur. Sed tamen meus non deerit assensus, si quis probabili coniectura hunc quoque dactylum removerit.

Secundi et quarti pedis vix opus est redintegrare has condiciones, ut voces anapaestum formantes arte inter sese cohaereant et semiquinaria caesura satis insignis versum distinguat. Hac ratione defendi possunt Av. v. 1022. Eccles. v. 1027:

ἐπίσκοπος ἥκω δεῦρο τῷ κυάμῳ λαχών —.
ἀλλ' ἔμπορος εἶναι σκήψομαι. — κλάων γε σύ.

In Thesmoph. v. 637

κᾆπειτ' ἀποδύσετ' ἐννέα παίδων μητέρα

pausa quidem elisione magnopere obscurata in penthemimeris sede intercedit, sed molliorem reddit anapaestum cum artissima numeralis adiectivi cum nomine coniunctio, tum exilitas syllabarum finalium ἐννέα vocis, quae ad monosyllabae pronuntiationis volubilitatem proxime accedunt. — Verum lenissima mutatione consuli potest Avium versui 1228:

ἀκροατέον ὑμῖν ἐν μέρει τῶν κρειττόνων:

cui ἀκροατέ' ὑμῖν reddendum esse Blaydesius intellexit. Item eiusdem fabulae versui 1363

ἀλλ' οἷάπερ αὐτὸς ἔμαθον, ὅτε παῖς ἦ. σὺ γάρ:

in quo non dubito ὥσπερ adverbium reponere, cum superiore versu σοὶ — οὐ κακῶς ὑποθήσομαι Pithetaerus dixerit. — In Acharn. v. 107

εἰ προσδοκῶσι χρυσίον ἐκ τῶν βαρβάρων

χρυσὸν forma, quam Elmsleius reponendam esse vidit, ex Pseudartabae verbis v. 104 οὐ λῆψι χρῦσο commendationem habet, nec quominus eam recipiamus obstant legati verba in proximo versu: οὔκ, ἀλλ' ἀχάνας ὅδε γε χρυσίου λέγει. Nam χρυσίον plenior forma adhiberi solet, ubicumque de certa atque definita copia nummorum sermo est: quae significatio cum in legati verba cadat, a versu nobis proposito aliena est. Si cui vero Elmsleiana emendatio non satisfaciat, is poterit etiam cum Hermanno

in Diar. antiq. l. c. ἐκ praepositione deleta scribere χρυσίον τῶν βαρβάρων. — Eiusdem fabulae versum 1078

ἰὼ στρατηγοὶ πλείονες ἢ βελτίονες

Elmsleius ex Euripidis Telepho sumptum esse suspicatur: quod quamquam non posse pro certo affirmari existimo, tamen quia in propatulo est verba ad tragicam gravitatem composita esse, anapaestus quarti pedis ferri nequit. Sed cum Reisigius in Coniect. ad Aristoph. p. 43 πλέονες non minus quam ceteras huius comparativi formas masculinas simplici ε vocali scriptas a poetis scaenicis Atticorum abiudicaverit neque adhuc videam eius sententiam a quoquam refutatam esse, dubitari debet num recte Bentleius atque post eum Elmsleius et Hermannus l. c. πλέονες scribi voluerint. — Altera labes metrica suspectum reddit Lysistratae versum 124, qui sic in codicibus scriptus est:

ἀφεκτέα τοίνυν ἡμῖν ἐστι τοῦ πέους.

Nam ἡμίν correpta ultima nullam apud Aristophanem auctoritatem habere Dindorfius in adnott. ed. Oxon. ad Av. v. 386 ostendit. Quamobrem editores plerique probarunt Bentlei transpositionem: ἀφεκτέα τοίνυν ἐστὶν ἡμῖν τ. π.; in hac autem verborum collocatione praeter dactylum secundi pedis similitudo syllabarum finalium in τοίνυν ἐστὶν ἡμῖν numeros exasperat. Engerus quidem in adnot. ἀφεκτέ' ἐστὶ τοίνυν ἡμῖν τ. π. scribi iussit: sed fefellit eum τοίνυν particulae mensura, quam non meminit usquequaque apud comicos ultimam producere. Quocirca hac demum transpositione versum sanari existimo:

ἀφεκτέ' ἡμῖν ἐστι τοίνυν τοῦ πέους.

τοίνυν quidem particulam apte posuit Lysistrata ante τοῦ πέους, ut augeret motam audientium exspectationem, priusquam hoc gravissimum nimirum nomen pronuntiaret. — Nullus vero anapaestus continetur hoc versu Avium 1237:

οἷς θυτέον αὐτοὺς, ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ τῷ Διί.

Nam quod lexica quaedam θυτέον dactylum aequare affirmant, cum aliis poetarum exemplis refellitur tum Sophoclis Ai. v. 712, ubi πάνθυτα δέσμι' verbis respondent in stropha Νύσια Κνώσι' —.

In Cratini fragm. apud Mein. II, 164 (4 v. 2) μετ' ἐμοῦ διῆγες, οἴναρον ἕλκων τῆς τρυγός verba οἴναρον τῆς τρυγὸς nihili esse nemo non videt. — In Pherecratis fragm. ibid. II, 327 (Χειρ. v. 10) ἀπολώλεκέ μ' οὕτως, ὥστε τῆς ποιήσεως videtur cum Meinekio scribendum esse ἀπολώλεχ' οὕτως, pronomine με in octavum fragmenti versum transposito, cuius numeri aliquod

flagitant supplementum. — Xenarchi fragmentum ibid. III, 616 (1 v. 5) libri sic scriptum exhibent: ἀπώλεσεν αὐτὴν καὶ κατεπόντωσέν μ', ὁρᾷς. Ibi Canterus ingeniose ἀπώλεσε ναύτην proposuit; qua coniectura usi anapaestum removere poterimus, si ἀπώλεσεν ναῦν scripserimus.

Sed restant, quae satis certa esse videntur dactylorum pro trochaeis exempla haec: Pherecratis fragm. apud Mein. II, 281 (2 v. 2): Metagenis II, 753 (1 v. 6); Eubuli III, 263 (5 v. 2); Alexidis III, 500 (1 v. 3); Philemonis IV, 15 (Νε. v. 2); Ephippi III, 339 (inc. fab. 1); Anonymi IV, 658 (220):

οὐκ ἰσχάδας οἴσεις; τῶν μελαινῶν; μανθάνεις;
ῥεῖ τευθίσιν ὀπταῖς καὶ φάγροις καὶ καράβοις.
βεβρεγμένος ἥκω καὶ κεκωθωνισμένος.
προσίετο πλεῖον τοῦ μετρίου, νυνὶ δὲ τὴν —.
ἣν εἴδομεν ἡμεῖς, τῷ Σελεύκῳ πάλιν ἔδει —.
* * φιλῶ γε Πράμνιον οἶνον Λέσβιον.
μήθ' ἁλμυρὸν εἶναι μήτε μῶρον ἐς τὸ πᾶν.

Fortasse apud poetam infimae aetatis ferendus est talis versus, qui in sede semiquinariae caesurae pertenuem tantum incisionem inter articulum et nomen admittat: Batonis fragm. ibid. IV, 499 (1 v. 1):

τῶν φιλοσόφων τοὺς σώφρονας ἐνταυθοῖ καλῶ.

Sed depravata sunt hau dubie dactylorum exempla in trimetris, qui nullam ante tertiam arsim caesuram adsciverunt. In Pluti v. 476

ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες οὐκ ἀρήξετε

scribi potest cum Bentleio τύμπαν', ὦ. — In Phrynichi fragm. apud Mein. II, 584 (5)

ἄγαμαι, Διονῦ, σοῦ στόματος ὡς σεσέλλισαι
κεκομμένα πολλάκις

corruptela latere in κεκομμένα videtur; Meinekius proposuit κεκόμπακας πολλάκις, Hermannus καὶ κωμικοὶ πολλάκις. — In Alexidis denique versu ibid. III, 455 (2 v. 3)

τριχίδια καὶ σηπίδια καὶ φρυκτούς τινας

σηπίδι' ἢ scribendum equidem puto.

Verum quod Blaydesius l. s. s. anapaestum ex interpunctione post ipsam alteram syllabam facta excusationem habere opinatur, de eo non magis ei assentiri possum quam Reisigio, quem similem sententiam, sed diligentius defensam, de anapaesto post primam syllabam diviso proposuisse vidimus. De cuius rei rationibus sat

multa diximus cap. I. Exempla vero talis interpunctionis in Aristophanis fabulis duo extant: Pac. v. 233. Av. v. 1226:

μέλλει. θορυβεῖ γοῦν ἔνδοθεν. — οἴμοι δείλαιος.
εἰ τῶν μὲν ἄλλων ἄρχομεν, ὑμεῖς δ' οἱ θεοί —.

In priore autem ἔνδοθεν solus Ravennas praebet, ceteri codices ἔνδον exhibent, quod quominus recipiamus nihil prorsus obstat; atque Hermanno quidem haec brevior forma tam esse firmata videbatur, ut, cur Engerus versum illum inter ceteros dactylum continentes attulisset, negaret se intellegere accusaretque Engerum erroris in numeris versuum exscribendis commissi. — Avium sane versus et librorum consensu dactylum praebet et ex sententiae grammaticaeque rationibus vituperari nequit.

At ceterorum comicorum exempla pleraque apertis vitiis laborant. Mutilus est hau dubie Amphidis versus apud Mein. III, 317 (1 v. 1):

ποδαπὸς εἶ φράσον. — Ἀκάνθιος. — εἶτα πρὸς θεῶν.

Ibi ποδαπὸς εἶ φράσον in fine praecedentis versus positum fuisse et inter φράσον et Ἀκάνθιος lacunam statuendam esse Meinekius suspicatur; sed videtur potius post Ἀκάνθιος aliquid intercidisse. — Solutio sexti pedis corruptelam manifestat in trimetro Eubuli apud Mein. III, 205 (Ἀμ. v. 9):

ἀκροκώλιόν τε γεννικὸν, ὀπτὰ δελφάκια:

anapaestus autem in quarta sede etiam iccirco ferri non potest, quod locus tragicum colorem imitatur. — In Philemonis fragm. apud Mein. IV, 46 (33 v. 3)

σήσαμον, ἔλαιον, κρόμυον, ὄξος, σίλφιον

κρόμμυον formam Atticam duplici μ scriptam Meinekius restituit; sed debuit κρόμμυ' plurali numero reponere; nam singularis metri gratia ab eis librariis illatus est, qui posuerunt formam simplici μ consona scriptam; quamquam hoc genus interpunctionis utpote in nominum enumeratione adhibitum fere nullam vim habere supra diximus. — Anaxippi fragm. ibid. IV, 460 (Ἐγκ. v. 41):

ὅταν ἐγγὺς ᾖ δ' ὅδ' ὕστερος, ἀρτύω φακῆν.

Intellegi nequit quis sit ὅδ' ὕστερος: quae verba recte in ὁ σταυρὸς Dobraeus mutasse videtur. — In Mnesimachi fragm. ibid. III, 568 (Δυσκ. v. 5 sq.):

τοὺς μὲν ἰχθῦς μοι κάλει
ἰχθύδιον· ὄψον δ' ἂν λέγῃς ἕτερον, κάλει —

multo concinnior evadit enuntiati structura et sententia plurali

numero ἰχθύδι' recepto; quem Dobraeus quoque flagitabat. — Neque vero expedio versum Sotadis ibid. III, 586 (Ἐγκ. v. 23):

ἰχθύδια, τούτων ἀποκνίσας τὰ κρανία —.

Hic igitur cum Avium versu restat ad defendendam in medio anapaesto interpunctionem. Quos versus nisi quis corrigendos esse mecum arbitratur, tamen non ita statuendum erit, ut interpunctio excusare dicatur dactylos pro trochaeis positos, sed potius numerorum durities liberaliter concedatur poetarumque singulari cuidam neglegentiae tribuatur. Qualis interpunctio si re vera non exasperasset sed mitigasset anapaestos in versibus iambicis, profecto non unum tantummodo exemplum in decem milibus trimetrorum Aristophanes nobis reliquisset. A neglegentia vero in versibus condendis quo magis abhorruisse huius poetae consuetudinem intelleximus, eo nos esse cautiores debebimus in pensitanda licentia, quam et ratio dissuadet et paucitas certorum exemplorum.

[Quae restant, propediem prodibunt in Actis societatis philologae Lipsiensis.]